

debet subesse alteri in eo, in quo ordinatur ad ipsum sicut ad finem; set princeps temporalium in temporalibus ordinatur ad principem spiritualium sicut ad finem; ergo ^{a)} cum temporalia sint propter spiritualia, ergo in temporalibus subest. Et confirmatur, quia frenorum ^{b)} factor non subicitur principi equorum nisi in frenorum ^{b)} factione per modum factionis, et ita in proposito principatus ^{c)}, qui est temporalium sicut ille frenorum ^{b)}. Secundo quia princeps temporalium ^{d)} in eo subicitur principi spiritualium in quantum talis, in quo sibi subprincipatur; set princeps temporalium non subprincipatur principi spiritualium in spiritualibus, in quibus nullum principatum habet; ergo in temporalibus intelligitur ista subordinatio. Et istud secundum est ad excludendum solutionem.

Quidam tamen nituntur ^{e)} subterfugere istam rationem, que fortissima esse videtur; dicunt quod minor est falsa, nec concedere volunt, quod temporalia sint ordinata ^{f)} ad spiritualia sicut ad finem. Isti autem dum volunt fugere rationem, tendunt contra fidem, quia fides catholica tenet, quod temporalia sunt nobis data propter spiritualia, per que consequamur eterna. Ideo dicit Salvator Mattheo 6: primum querite regnum Dei et iusticiam eius, que sunt spiritualia, et hec omnia adicientur vobis ²²⁾ scilicet temporalia. Nunc autem ita est, quod illud quod est primum in ^{g)} intentione, est finis, et illud quod adicitur ex consequenti, est ad finem. Ergo Christus hic comparavit temporalia ad spiritualia, sicut ad finem qui primo queritur.

Set contra istam veritatem ^{h)} instatur quadrupliciter ⁱ⁾: primo quia Constantinus monarchiam subiecit et ⁱ⁾ se ipsum principi ecclesie, sicut habetur ex gestis beati Silvestri; tamen frustra se ipsum subiecisset, si de iure naturali antea subiectus fuisset, sicut probant supradicte rationes. Secundo quia ecclesia catholica multa bona recepit temporalia a principibus temporalibus, que frustra ab eis accepisset, si semper in temporalibus dominata fuisset. Tertio quia principatus rerum temporalium precessit principatum rerum spiritualium, et ideo cum in priori tempore fuerit ab eius subordinatione ^{k)} absolutum, non videtur quomodo postea fuerit subiugatum, ut ex fide passum fuisset detrimentum.

^{a)} quo P 1. ^{b)} wie oben S. 127 Anm. h. ^{c)} principatu P 2.
^{d)} spiritualium P 1. ^{e)} intenter P 2. ^{f)} subordinata P 1. ^{g)} fehlt P 1.
^{h)} auctoritatem P 2. ⁱ⁾ fehlt P 2. ^{k)} ordinatione P 1.

²²⁾ Matth. 6, 33.